

## **Terms and Conditions**

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

### Imprint:

Director: Mag. Renate Plöchl

Deputy director: Mag. Julian Sagmeister

Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek

Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

### Contact:

Email: [landesbibliothek\(at\)ooe.gv.at](mailto:landesbibliothek(at)ooe.gv.at)

Telephone: +43(732) 7720-53100



**Q**uoniam apud doctissimos et prestantissimos viros quae verae naturae et historiae tradiderunt de mundi fabrica: ac prima hominum generatione: duplex opinio fertur: a praeiis enim illis temporibus sumpto initio: scribemus brevissime quantum in tam remotis (propter antiquitatem) rebus licet bit. Quidam mundum ingenitus: et incorruptibilem: et genus humanum ab eterno extitisse neque habuisse ortum principium sensere. Quidam genitum corruptibilemque arbitrati: et homines dixerunt generationis initium tempore esse sortitos. Et greci viri clarissimi qui historias collegerunt: affirmaverunt. Unam ante initium omnium caeli et terre cunctis simul confusis formam fuisse: postea disseparatis: diversisque molibus cepisse mundum hunc ordinem quem videmus. Aerem hunc motu continuo et igneam partem cuius superiora loca propter levitatem aut appetuisse: Quae ex causa solem ac stellarum multitudinem voluntate totius circumferret: Partem autem turbidam atque terrestrem vnicuique humidis ad infima loca ob gravitates descendisse que

cum mixta essent. ex humidis quidem mare effectum. Ex durioribus vero terram lutosam evasisse: et omnino mollem. hec primum cum solis ardore densior evasisset: in quibus putredines tenui cōtecte pellicula sint excitatae. Erupisse tandem ab illa colluvie varias animantium formas quorum ea quo maiorem calorem sortita sunt in superiorem regionem volatilia abierunt: sicciora et graviora: serpentina ac terrestria evaserunt animantia. Naturam aquosam nacta in sui generis elementum delata sunt. Terra deinceps tum solis ardore tum ventis arefacta: mutua coniunctione sexuum perfectiora generantur. Hoc Euripides Tragicus Anaxagore physici discipulus ita se habuisse testatur. Eodem modo homines a principio genitos dicunt. In agris pastum querentes. silvestri et incondita vita vixisse quibus herbe et arborum fructus vltro victum praebeverunt. In huius denique enarratione cum per multos elaborasse latinos grecosque videmus: praeterea chaldaeos et hebraeos veteres novosque. Relictis igitur antiquis erroribus Archana Moyses volumina de mundi fabrica: et celebratis illis operibus sex dierum plurastrabimus. Quibus totius naturae secreta continentur. Nam moyses propheta ac historicorum pater deo plenus: ac caelesti dictante spiritu totius magistro veritatis: excepit haec omnia. Quem cum nostrorum: tum suorum: tum gentium denique testimonia prorsus humane sapientiae: doctrinarumque omnium et litterarum consultiissimum prodiderunt. Apud hebraeos Salomonis liber: cui sapientia titulus: in quo vir naturae rerum interpretis se illiusmodi disciplinam de moysae legis preceptoribus accepisse fateatur. Sunt apud nostros Lucas et philon auctores gravissimi: illum in universa egyptiorum doctrina fuisse eruditissimum. Sed et hermippus attestat Pythagoram de moysae lege plurimum in sua philosophia transfuisse. Notum illud Numenij philosophi: non aliud esse platonem quam atticum moysen. In primordio denique sui operis de natura: de totius officio mundi velut agri cuiuspiam thesauri: omnis vere philosophiae defossi sunt. Factumque in primis hoc in hac parte: ubi de rerum omnium emanatione a deo de gradu: de numero: de ordine partium mundanarum altissime philosophatur. Propterea fuit decretum veterum hebraeorum. Cuius etiam meminit Hieronymus: ne hanc mundi creationem quisque nisi matura iam etate attingeret. Quae autem super hoc libro viri sanctissimi Ambrosius et Augustinus. Strabo. item et Beda et Remigius. Et ex iunioribus Egidius et Albertus. Quae item apud grecos Philon. Origenes. Basilus. theodoriceus. Appollinarius. Bydinus. Genadius. Crisostomus etc. scripserunt intacta penitus a nobis relinquent. De his item quae vel Jonethes vel Anhelos vel Symeon antiquis chaldaice tradiderunt: vel ex hebraeis aut veteres Eleazarus. Aba iohannes. Neonius. Isaac. Joseph: aut iuniores Bersonides. Sadias. Abraam etc. scripserunt: nullam nos in praesentia mentionem habebimus. Afferemusque pro modo epitomatis. Ex moysae seriem sex dierum: de divina mundi fabrica: de qua in archanis sanctae religionis litteris traditur.

Exorsus igitur deus fabricam mundi illum primum et maximum filium perfecit operi immenso. Eoque simul et consiliatore usus est et artifice: in excogitandis: ornandis: faciendisque rebus: quam is prudentia et ratione: et potestate perfectus est. Nec querendum ex quibus ista tam magna: tam mirifica opera deus fecerit. Quia enim fecit ex nihilo. Quanto igitur rectius est omissis insensibilibus et vanis: oculos eo tendere ubi sedes: ubi habitatio est dei veri: qui terram stabili firmitate suspendit: qui celum distinxit astris fulgentibus: qui sole rebus humanis clarissimum ac singulare lumen in argumentum suae ac vnicuique maiestatis accedit. Terris autem maria circumfudit: flumina sempiterno lapsu fluere precepit: iussit et extendi campos: subsidere vales: fronde tegi silvas: lapidosos surgere montes: quae vti que omnia non iupiter fecit: sed ille opifex rex mundi melioris origo: qui vocatur deus: cuius principium quam non potest comprehendere nec quaeri debet. Satis est homini ad perfectam prudentiam: si deum esse intelligat: ut suscipiat et honorificet communem parentem generis humani: et rerum mirabilium fabricatorem. Tres mundos figurat antiquitas: supremum omnium ultra mundanum: quem theologi angelicum: philosophi autem intellectualem vocant. Proximum huic caelestem: postremum omnium sublunarem: hunc quem incolimus: hic tenebrarum mundus: ille autem lucis: celestium ex luce et tenebris temperatur. Est et praeter tres quartus alius mundus: in quo et ea omnia inveniuntur quae sunt in reliquis: hic ipse est homo. Tertium in scolis verbum est esse hominem minorem mundum: in quo mixtum ex elementis corpus: et caelestis spiritus: et plantarum anima vegetalis: et brutorum sensus: et ratio et angelica mens: et dei similitudo conspicitur. De his quatuor mundis moyses sufficienter disseruit: ut deus opifex disposuit: ut vere scriptura haec Moyses imago mundi expressa sit: quemadmodum legimus etiam preceptum in monte: ubi haec didicit: ut omnia faceret secundum exemplar quod in monte viderat. Quid tandem caelestis littera de celebratis operibus sex dierum edocet: cursim absoluemus.